




V
B J
C

Frid. Zamell

EPIGRAMMATUM

Liber VII. & VIII.

Typis Wendelini Bodenhausii anno M. DC. XLI.

Ad Lectorem.

CArminis æternam peperit mihi Svecia famã.
Inde mihi, Lector, gloria prima fuit.
Et licet errârit versûs infantia nostri
Regibus in veris, nunc malus error abest.
Sarmatiæ Reges & rerum conscia Regni
Pectora cantamus: quos liquet esse Gothos.

Peril-

PERILLVSTRI NEC NON GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. SIGISMVNDO GVLDENSTERNIO Lib. Baroni in Vogelvvick & Lundelholm S. Reg. Majest. Poloniæ ac Sveciæ Consiliario intimo, Præfecto Stumensi &c. &c.

IN gratus essem, Domine Perillustris & Generosissime, si amori Tuo in me singulari non responderem qualicumq; meo in Te officio: præsertim cùm cœperit is nec dum me cognito: ab eâ causâ, quæ æterna esse potest, donec erimus. Literarum enim consuetudine eruditorumq; commercio non parùm delectatus, etiam in me rei honestissimæ conatum amplexus es. Sed cùm heroum sis sanguis, Palladi verò rite litaveris; Te & facere, quæ genere Tuo digna sunt, & ea sentire, quæ optimum quemq; sentire convenit; id verò in Te peculiare est. Quapropter quale Tuum de aliis, aliorum de Te sit Judicium, cum ratione res ipsa loquitur. De quo Judicio Tuo quamtopere mihi gratuler, nihil nunc dicam: ne, si obtrectaverint ideo improbi, vituperent eò magis boni. Igitur illa. Me quod attinet, postquam Tibi me devinctum sensi, hosce Epigrammatum meorum libellos Tui nominis auspicio edidi; exoluturus quo volui, quo potui. Tu vir Perillustris, fronte, linguâ, animo, queis soles; lege, fave, fove. Tui nunc illi sunt, quos emancipavi; ut Tuo in patrocinio, Tuâ sub manu conquiescerent. Musis interea puellis meis injunxi, uti Te intra gaudia vel otia Tua, nullatenus ultra occupent. Namq; ut negotiorum Tuorum moles, ubi incubuit, nec admittere eas potest; ita nec admitti herus earum postulat. Abunde illis est, commodùm placuisse: nempe cùm paullùm discussis curarum nebulis Tibi precariò vixeris. Nec ignota Tibi indoles hujus chori, qui non tam ingenii honore commendari satagit, quàm verecundiæ nomi-

ne. De partibus duntaxat meis in Te colendo mihi sermo est: etsi, quæ aptissima est oportunitas, talem Te semper offenderim, qualem Te numquam non fore inter summæ benevolentiæ argumenta professus sis. Docuisti nimirum, & Tecum clarissimus popularis Tuus, qui Te primus ad amandum me impulit, in iisdem habitare animis Gratias, qui Camœnis patuerint. Cui viro majoribus auspiciis eunti, perq; egregia literarum monumenta Famæ templum ingresso quid referam? Noverit tamen ille amoris sui pignora mihi curæ esse, & coli non minùs à me illustrem Borastéi nominis memoriam. Cæterùm Epigrammata pollicitus sum: quorum mensuram egrediuntur rejecti in calcem Elegi. Veniam dabit lector candidus, qui non ex modulo sed scopo rem æstimaverit. Tusculus neglectis nepotibus paria se cum Abrahamo Thariade facere stolidè asserendo impietatem prætexere non erubuit. Mihi constitutum est, magnificentiâ & aliis Abrahæ bonis artibus tum insigni erga Deum religione fusiùs expositâ ostendere, quàm nihil habeat simile lurco injustissimus. Et quidem epulum ille conquisitissimum instruxerat: sed familiæ, sed viris deinde virtute atq; autoritate præstantibus, suo deniq; tempore: hic in levissimos homines adeoq; nullius pretii quotidie profusus est. Verùm Perillustris ac Generosissime Domine, id unicè opto; ut qualibus novum hunc annum incoasti, Tibi porrò secundæ sint aves: quin imò Te ipsum Tuis Reiq; publicæ ac bonis omnibus sospitem servet is, qui condidit. Drusopoli anno sal. n. M. DC. XLI. IV. Cal. April.

Perillust. dignit. T.
observantiss.

Frid. Zam.

Ad Peril-

Ad Perilluſt. Dn. Sig. Gulden-ſternium &c.

DUm potus liquidâ ter Hippocrene,
Terq́ʒ undâ Claron irrigante Vates
Major ſorte meâ per alta Pindi
Non vanâ ingredior vehente pompâ;
Suſpectæ pavidum tenent ſalebræ,
Et denſum nemus, & vago Cithæron
Perculſus pede, barbaroq́ʒ thyrſo,
Vicini reſonans per antra montis.
Guldenſterniade *genus regentum,*
Terras, quas Cynoſura ſumma luſtrat,
Da dextram facilem, nec Aurearum
Stellarum *occule prævium nitorem.*
Res eſt, ut nemorum juvemur umbris,
Nec ſilvis tamen inſit horror ipſis,
Evitare malæ venena linguæ,
Non occurrere Mænadum furori.
Namq́ʒ & quà ſuboles eunt deorum,
Bacchantum ſatis undiquaq́ʒ turbæ eſt.

Ad Eumdem de Potentiſſimo Principe Vladislao IV. Polon. ac Sveciæ Rege.

ACer ut Iſmarium Rex Vladislaus in hoſtem eſt,
Sic bonus & clemens dicitur eſſe ſuis.
Sæpe meo ſupplex acceſſi carmine. Vidit.
Neſcio ſed ſatis an legerit ille deus.
Guldenſterniade quid non potes optime fautor?
Sat cum Rege loqui Zamelioq́ʒ Tuo.

Illustri Admodumq; reverendo Domino Gregorio Borasto Canonico Varmiensi, Sacræ Regiæ Majest. Poloniæ & Sveciæ Secretario.

ADspice, quæ sine Te Muretus præmia sumat,
Et Venetæ Bembus conditor historiæ.
Restituit Romæ linguam Ciceronis uterq;,
Ortus at hic Italis ortus & alter avis.
Hoc quoq; Tu præstas, Gothicâ sed missus ab Arcto.
Adsere nunc laudes, magne Boraste, Tuas.

De Illustri Admodumq; rever. Domino Iohanne Vastovio Canonico Varmiensi &c.

CVria quem stupuit dudum Romana loquentem,
Vastovium his oculis lux hodierna dabit.
Musa Sifertinas adeamus protenus ædes,
Nulla profecturi caussa moratur iter.
Vna sed hæc superest: cùm legerit antè libellos
Ille meos, Vatem vult quoq; nosse Tuum.

Spectabili atq; Ampliss: Dom. Sigismundo Megerisio Cons. Elb. Collegæ opt.

NAte Bono Patriæ, Megerisi industrie, qui Rem,
Quâ Consul genitor polluit, arte juvas:
Tune rogare potes, quod non sine crimine cœptum est?
Quod mihi, si merui, criminis instar erit?
Carmina condidimus: sunt qui licuisse negabant,
Dicar utut Spartâ non abiisse meâ.
At si tamtus amor patrii Tibi Vatis inhæret;
Accipe secessûs otia tota mei.

Volve

Volve sub occasum tunc Te invitantia Solem.
Manè volunt condi, vespere nostra legi.
Sed superes, sospesq; mei tuearis amorem:
Ac Laris & Patriæ sis MEGARIZA Tuæ!

Spectab. & Consultisſ: viro Dn. Matthiæ Richtero Reip. Elb. Syndico, P. præst. cùm primùm Elbingam appulisset.

SAlve Ælvæonii mens ô consulta Senatûs
Matthia, turbæ deinde Poëta meæ.
Tamta Tuis humeris cùm stet fiducia rerum,
Improbat in studiis nil mala lingua Tuis.
Astrue jus nostrum dextrâ sub vindice Regum:
Constet ut in Vatum cordibus esse Themin.

Ad Illustr. Dn. Greg. Borastum.

QVando meum vises, venerande Boraste, patronum?
Nuper is, hei Charitum tertia, dixit, abest!
Hæc quoq; subjecit: Tu carmine necte, Zamesi.
Mox sacer in nostro carmine nexus erat.
Ducite Varmiacâ mea carmina ab arce Borastum.
Iam venit: hoc præstant pharmaca Vatis, amor.

De hortis Magnifici & Nobilisſ. Dni. Israëlis Hoppii Præcoſ. Reip. Elb.

IN Hoppianis Musa si quieveris
Hortis, nemorum & aquarum erit compendium:
Quo nil Poëta Tuus videt jucundius,
Quoties domûs suæ diætâ prospicit.
Nec vetat herus. Suos sibi hortos asserit:
Sed ut fruar secum, libenter annuit.

Excel-

Excell: viro Dn. Danieli Visnero Reip. Elb. Archiatro.

Visnere, candidum cor, atq; Drusiæ
Caput manusq; Iatrices; si quid fidem
Advorsus antiquam priusq; vinculum
Nos suspicemur mutuò alter de altero,
Id justa facinus vindicet Rhamnusia.
De me: ædepol nec amoribus cupiam Tuis
Exsolvier; nec, si forem tam lubricus,
Carere possem Te meo Æsculapio.
Amemus ut Boni. Profanum nomen est
Virtus, nisi inter optimos exercita.

Ad Paullum.

Semper aperta Tibi nostri penetralia tecti,
Paulle, subi: veniam parce rogare. Licet.
Quæris & an dominus Larium non respuat umbras:
Siq; ferat, Tecum posse venire duas.
Admitto: sed ne mendacis prima Philippi,
Altera vinosi pota sit umbra Petri.
Egregias animas Theodorum Aramæa professum,
Et Thoman, Hellas quem vetus ornat, amo.
Ille per Assyrios deducet secula fastos,
Hic per Achivorum Romulidumq; duces.
Duc istos. O quàm gratis mihi transiit horis
Integra nox, quoties hi rapuêre diem!

Caussæ forenses.

Quæritis, unde novas habeat discordia vires?
Vnde sit hic ignis, quo flagrat omne forum?
Primum hoc, quid liceat, rogat ante negotia nemo:
In jus, cùm res est acta, frequenter eunt.

Fœcunda

Fœcundæ lites quos non habuêre patronos?
Quæ domus à domini morte quieta fuit?
Ignorant animi non missi in munia legum,
Quantùm dissideant stirps patre, fratre soror.
Quæ per caussidicas ineantur prælia linguas,
Quid dirimat judex, arbitriumq; virûm.
His functus toties ad pristina vota recurro.
Solvite me, Patres: detur abire foro.

De iisdem.

NOn satis est, Proceres, populi decidere caussas,
Cùmq; sat impensum est, litis inire modum.
Quid stupet ambiguus decreta recondita judex,
Et Phœbi tripodas templa Themistos habent?
Ne pereant Cives, aut regnet lingua Mathonis,
Quæ lex non cavet hoc, non satis illa proba est.

In Titium.

IPse mihi felix stultè negor esse beatus.
Nempe negat Titius, qui sapit omne Sophos.
Qui putat esse nihil quod tractavêre Poëtæ,
Et nihil in studiis, quod juvet, esse meis.
Qui, quod Merga putat, putat hoc quoq;: pulcrius ipsâ
Esse nihil, quâ nil fœdius esse puto.
Frons illi brevis est, nasus prolixior æquo:
Sunt oculi, quales ursa Libystis habet.
Os laxum, scabri dentes, mentumq; profundum.
Arentesq; genæ, tactaq; Sole cutis.
Quid memorem, quæ nota quidem sed veste teguntur?
Sed sua sint Titio, sint mea pulcra mihi.

Ad Marcionem.

SÆpius invito Te, Marcio: sæpe reponis,
Venturum astricti læve per æquor Habi.
Tunc datur exiguis glaciem transmittere rhedis,
Atq; horis Gedano Drusida adire tribus.
Sed quota bruma ruet? cave ne quis dixerit olim:
Hic quem Tu quæris Druside, mortuus est.

Perillustr: Dn. Sigis. Guldensternio in festo Chr. natalitio.

DVm Tuus ad Christi properat cunabula Vates,
Eligit Eoos inter adire Magos.
Ortus ab Iapeto cur non ducentibus astris
Mistus eat doctis Principibusq; viris?
Caussa subest potior. Nam tunc securius ibit,
Quòd simul hanc facies Stelliger ipse viam.

Christi recens nati exosculatio.

SAlve nate Deo, Deus idem altissime, nunc &
Virginis intactæ pupe, meumq; genus:
Quid prius admirer? Tene hoc centone jacentem;
An tot opes, quas hoc porrigis ore, manu?
Te, quoniam invitas, amplector & omnia, quæ fers:
Nec metuo in domini proruere oscla mei.
O quantum ætherii, mi Iesule, nectaris afflas!
O quàm dulce, suo figere labra Deo!
Non ego vos ceras & ficta sigilla requiro.
Tam mihi formosum ridet ab arte nihil.
Qui superûm nos sede locat Genitore reducto,
Ipsum ego in his ulnis Christum animoq; gero.

De

De Habo Elbingensium lacu, Tolcomitanorumq; oppido.

PRopter aquas habitat, rivi quem vendicet exors,
Piscator nostri Tolcomitensis Habi.
Advehit Elbingam pisces obnoxius urbem,
Debitaq; indicto porrigit æra die.
Sed dolet esse sibi nullum ipso in littore littus,
Aspicit à tecto cum vada nostra suo.
Drusicolam gentem quid creditis urere, quando
Non sua de patriis rura tuetur aquis?
Cernit ubi in geminis per non sua pascua ripis
Lanigerum totis finibus agmen agi?
Sunt propè Phæacum silvæ nemorosaq; tempe,
Templaq; cum Consi Tolcomitana domo,
Stant non indecores in margine Regibus arces:
Nec sua regna tamen, nec sua poma videt.
Terminus est rerum: sitq; ut sincera voluptas,
Et procul invidiâ, debet habere modum.

Illustri reverendoq; admodum Dn. Gregorio Borasto.

DIximus ad lumen variis errantia formis
Spectra per arctoi Regna vetusta Gothi;
Ruperunt dulcem mihi tristia visa soporem:
Nulla fuit totâ nocte vel ægra quies.
Fœmina vera tamen pro falsâ manè reperta est.
Nil fuit in lecto tale, Boraste, Tuo.

Philippo Modio

SAcra colant alii: scrupis ego ludere cogor.
Ah Venus in lusu est nulla jocusq; meo!

Excutis hoc soleâ, quo renibus oppleor imis;
  Quodq́ ægre toleres sub pede, ventre gero.
Da veniam, festas queruli si læsimus aures.
  Abrumpo gemitus spe subeunte meos.
Temporis admoneor. Deus ecce egressus Olympo
  Vt nostra assereret gaudia, natus homo est.
Interea dum non vacuis licet esse Poëtis;
  Perpetuumq́ illi, quod meditentur, habent:
Scis ego quid faciam? quæ fabrica surgat amicis?
  Nomen in extremis non habiture Modi:
Quem mihi si dubitas penitis hærere medullis;
  Dic pariter, sanctum me penes esse nihil.
Dic me posthabitis mea quærere præmia divis;
  Plusq́ meas laurus, quàm coluisse fidem.
Construo tergemini chartacea sidera Regis.
  Immensum radiis octo cohæret opus.
In medio sedem fax abscessura papyro
  Cœpit, & est spatio machina tuta suo.
Fila quoq́ aptavi totam versantia molem:
  Et quâ sublimis pendeat, ansa subest.
Vtq́ novo cultu cœlestes præferat ortus,
  Illevi alternis fulva metalla plagis.
Coeruleum alternâ fudi regione colorem.
  Pars, quà trans lucet flamma, relicta sibi est.
Iamq́ opere exacto de Regibus altera cura est.
  Collegas igitur Rex ego quæro duos.
Da dextram mihi, care Modi. Tu sceptra capesses
  Proxima. Tu niger es. Rex potes esse Sabæ.
Quid Tibi de Bavaro Scholiaste deinde videtur?
  Dic age, cui posit stella gerenda dari?
Garrit hic assiduè: me calculus improbus urit.
  Vt liquet, ambiguum res facit illa gradum.

Tu

Tu faculam sumes: ratione tuebimur illud.
Vulcanum gestant rectiùs Æthiopes.
Vise Modi, nostros in noctem extendere lusus.
Sis congerro meus, si Magus esse negas.
Sed cura, Tecum Scholiasten duxeris umbram,
Si quid me risus garrulitasq; levent.

In Prætida.

EFfertur Phryne: totâ concursus in urbe est:
Auctura hanc turbam garrula Prœtis adest.
Vt solet, est solâ de Phryne in funere sermo;
Prœtidos unius sermo, fuisse lupam.
Non mirum, Prœti, est unam maledicere linguam.
Hæc erit ad tumulum publica fama Tuum.

Mars ad Venerem.

VIr Tuus in Lemno est, aut ferrum tractat in Ætnâ.
Ille mihi cudit strenuus arma faber.
Tu mihi da roseum, Venus, os & lactea colla:
Da teretes mammas, uvidulosq; sinus.
Res paret ille meas. Quæ munia negligit in Te,
Pro squallente viro miles obibo Tuus.

De Æmyliano.

SVaserat annoso Iuditha proterva marito,
Sæpiùs ut liquidâ tingeret ora nive.
Candorem vultûs dum quæreret Æmylianus,
Candidus est mento redditus atq; genis.

De oculis Staphyles.

DEcessit Staphyle, Stygiamq; emensa paludem est.
Hanc divam, hanc Venerem jam sua busta tegunt.

Dum redeunt juvenes comitati funus amicæ;
Sunt qui illud, sunt hoc qui periisse dolent.
O mihi sit, quo usa est in amantes, sospes ocellus!
Vterer hac face pro Gorgone in invidiam.

Ad Perillustr. Domin. Sig. Güldenstern, de convivio nuptiali, quod suæ familiæ pari Elbingæ apparaverat.

PActa Borussiaci thalamis Lechéa mariti
Esitat in mensâ sponsa bibitq; nihil:
Sed taciturna sedet. Sed nos circumspice, quotquot
His epulis Tecum consociavit Hymen.
O mihi Stellato *venerandum nomen ab* Auro,
Qui patriâ, quales relligione sumus?
Hic Gothus, ille Livo est: simus pars magna Borussi,
Pars è Sarmaticis maxima venit agris.
Cumq; Caledonio tractat Tua vina Britanno
Gens ea, cui patrius pocula præbet Arar.
Ecce Tibi misit Sudetica terra choraules,
Et canit ad motam Saxo Frisoq; lyram.
Sunt flexu faciles Lituanâ è gente choregi:
Ducitur & Geticâ Russa puella manu.
Nunc reputa ritus, & quàm diversa sequamur
Sacra. Fovet partes maxima Roma suas.
Pars cum Luthero Monachorum exosa cucullos
Vindelicâ Fidei sanxit in Vrbe modum.
Proximus accumbit Calvino illapsus acuto,
Et Bezæ fisus Bulligeriq; notis.
Quas Trinobantigenæ postquam expoliére Magistri;
Strictiùs hic mores, laxiùs ille regit.
Non absunt nostrâ Photini corte tribules.
Forsitan & risor relligionis inest.

Menonis

Mennonis est socius, cujus saltatur in Aulâ.
Abstinet à choreis Mennonis omne genus.
Te præsente tamen concordia summa loquentum est,
Inque mero nemo litigat, inque choro.
Quis præstare neget, ne sit quod publica turbet
Commoda, præsentes civibus esse deos?

Puellæ maris glaciem invectæ.

QVid non acre gelu, quid non Borealia mutant
Climata? per tremulas nuper agebar aquas.
Nunc glacie clausi peragrantur tergora ponti,
Duraque virgineum sustinet unda gregem.
Hæc maris est facies illis proba, quam negat æstas.
Et non sit, quo se ferrea jactet hiems?

In Marsiram.

SI cœlo Andromeda est, si Caßiopéa recepta;
Ad cœlum, dicis, nec mihi clausa via est.
Talibus exemplis cœlum si, Marsira, quæris;
In cœlo pingi non habitare cupis.

Forma fragilis.

OLim formosam, quam sex cecinêre Poëtæ,
Pòst mihi ter sextâ me‿e videre datum est.
Quid colimus, dixi, quid spuma quid æquoris alga
Nos implet, mulier, tam citò quæ fit anus?
Materies nostro quærenda æterna labori est.
Vnde sed hæc dabitur Vatibus? unde sumus.

Iupiter cœlo deturbatus.

INnumeræ gentes, quas arduus adspicit æther,
Et cœlo & sceptris deposuêre Iovem.

Si caussam vultis, sunt nunc connubia casta.
Nubitur: unius nupta sed una viri est.
Vatibus à cunctis Saturnius audit adulter.
Oderunt mœchos secula nostra deos.

In Ponticum.

REm malè gessisti: quærendi copia non est,
Patrono meliùs quo potuisset agi.
Gessisti: ex titulo tituliq; ex lege teneris.
Si quid peccasti Pontice, culpa Tua est.

Epithalamium N.B.

QVid non pœnarum duri meruêre parentes?
In thalamum sponsos cogit uterq; pater.
Sponsus amat, non hanc: sed cuî promiserat antè.
Sponsa dat huîc, alii sed dedit antè fidem.
Ibitur ad primos illis autoribus ignes:
Nec bene sumentur gaudia vera domi.

Anna Danäes exemplo inclusa.

EXemplo Danäes Thomas incluserat Annam.
Invito generum legerat illa patri.
Quid miser optaret? pluvium descenderet aurum?
Inventâ repulit clave puella fores.

De Spectab. atq; Amplisſ. viro Dn. Mich. Siferto Coſ. Elb. & conjuge ejusdem Reginâ Coccaynâ matr. honestisſ:

ASsidet in mensâ nobis Sifertus eâdem:
Assidet & conjux è regione viri.
Convivæ, tacitas utriusq; attendite voces:
Vt liquidis abeant in sua vota notis.

Verte

Verte oculos aliò, frontem Regina remitte.
Discimus à vultu jam Tua verba Tuo.

Aldi proxenetæ.

CVltor & Eusebies, & quas didicisse decorum est,
Rerum, ex Ausoniis urbibus Aldus adest.
Ecce parat meritos illi sua Drusis honores.
Dum satis hæc constant, quid Cytheræa facis?
Fallite per patrias, si quà transiverit, artes:
Idaliæ pueri stirps comitesq; deæ.
Luctantem auratis animum mollite sagittis.
Sed sit digna domus, dignaq; nimfa proco.
Absit, ut erretis: velamina ponite vultûs.
Hæc jam pro vobis munia Pallas obit.
Creditis Eusebien illam deponere curam?
Adspicite, ut primas quærat habere vices.
Tendite vos arcum, ne se Tritonia jactet:
Ne sit & alterius gloria, si quis amet.

In Titium.

AD Titii veniunt per Sabbata limen egeni.
Omnibus ex æquo numus & offa datur.
Arcentur reliquis missi quacumq; diebus.
Vt videt hæc nemo, sic satis ista patent.
Res est de Titio manifesta volente videri.
Quod Titius nunc est, hoc Pharisæus erat.

In nugatorem.

ESt lixa quidam de secutis copias
Apollinares, versifex ineptior
Catulliano Cæsio, qui nec manum
Nec os habere uti Angelum omnem edisseret,

In frivolis consumitur. Res liquida est
De plurimis. Novi Angelum, qui nec manu,
Nec ore, nec membro caret valdè utili
Hujusmodi, ut pater est, creandis Angelis.
Quid timporum sit in cavernis, nescio.
Sed docuit; os, manusq; nasum deniq;
Habere se, Politianus Angelus.

De Illustri Dn. Gregorio Borasto.

FErre Borastéum nescit sua patria nomen.
  Tam bona Lechéo Musa recepta sinu est.
Romam adiit, reditura tamen mansura Polonis.
  Quid mirum? vetus in Sarmatiâ Latium est.

Verni temporis desiderium.

PRorue Ver placidum. Quid nos astricta morantur
  Stagna, nec in liquidis remus oberrat aquis?
Non tamtùm excelsos operit nix algida colles:
  Est etiam in pratis inferiore viâ.
Sit satis in mundo non invenisse, quod ipse est.
  Redde mihi silvas, ingeniumq; meum.

Iusto Cæcilio Puteano Erycl F.

IVste, quid in foribus dubitas succedere? gressum
  Profer. In hac habitant Musa Charisq; domo.
Hac innecto fidem dextrâ Tibi: deinde parentis
  Fœdus in egregiæ stirpis amore colo.
En patris è pluteo partem mihi sæpe loquentis!
  In Te qui totus nunc Puteanus adest.

In Theopompum.

COnjugis esse Tuæ nolim, Theopompe, maritus:
  Nam dat rivali sponte datatq; Tuo.

Sponte

Sponte Tibi non dat: præsenti vend:tur auro,
Quicquid ab infidâ conjuge noctis habes.
Quid fiet, cùm rem Theopompe impenderis omnem,
Ipsaq; noluerit? fur vel adulter eris.

Viro Excell: Dno. Danieli Visnero Ph. & Med. D. Phys. Reip Elb. primario.

LImina Visneri Doctoris adite Camœnæ.
Dicite, quàm vacuâ sim, maneamq; domo.
Iverit ut conjux procul hinc ad tecta parentum;
Iverit ut streperus cum genetrice puer.
Me jucunda quidem captasse silentia: verùm
Poscere, Visnerus rumpat ut illa meus.

Viri mulieribus perfectiores.

VIvit in urbe meâ par dulce, maritus & uxor,
Mota quibus lis est: lis sed amica fuit.
Sexus uter potior? præstaret fœmina seu vir?
Hac præstare viros vir ratione probat:
Cùm superest penis, glans est bene fusa metalli:
At secus, in plumbo si qua lacuna sedet.

Præstantiss: viro, Domino Michaëli Mylio, Gymnasii Elb. Rectori.

POne Tuos fasces, præfecturâq; Lycei
Exime Te modico tempore, care Myli:
Convivam excepi, cui quamvis turba cocorum
Æstuet, à nullo mota saliva cibo est.
Te solum loquitur. Tu de Canibalibus unum
Dixeris. At nihil est. Spondeo tuta: veni.

Anser veris auspex.

SIlvarum cultor, Veris garritor, & index
Anser ab Asiaco littore rursus adest.
Deme diem, à primis ter deni abiêre Calendis.
Temporis est series, quam nova Rôma dedit.
Februa lux nondum est. Rem postera noverit ætas,
Ver geniale suos anticipasse dies.

De Illustri Dno. Greg. Borasto.

REgum habitat turres, & summa nogotia tractat,
Nec mecum fontes rusq; Borastus amat.
Sed me amat, & quæ sunt olim mihi condita ruri.
Quid tamen à silvis, fortè rogabat, habes?
Promtius ingenium, dixi. Responsa probabat:
Quoq; places, inquit, det Tibi porrò nemus.

De Medico circumforaneo.

NEscio quid fuerat mihi nuper Agyrta professus.
In nostrum Ottocari venerat urbe forum.
Sed duram validâ tussim relevare medelâ,
Artis præcipuum, quàm malè jactat, erat.
Fortè fatigabat tussis duo corcula nostræ
Stirpis: ad artificem curritur ergò novum.
Venit: & ipse duas immensùm tussiit horas.
Vna fuit Medici tussis in aure meâ.
Ito domum, dixi; quid nos, Empirice, frangis?
In tussi sobolem stat tolerare meam.



LIB. VIII.

LIBER VIII.

Ad Perilluſtr. ac Generoſiſſ. Dom. Sigism. Guldenſternium L. B. &c.

TEmpus adeſt, quo ſe pulcherrimus ingerit annus,
Et rigidos animat ſibila Chloris agros.
Eſt novus in nobis, rerum torpore ſoluto,
Impetus, & Numen pectora majus habent.
Si mea ſe magno commendat bruma patrono,
Hæc etiam placido ſub Iove nata leget.

In popinones.

ECce dies, gratæq; vices, & verna voluptas
Alituum longas expediére vias.
Cis mare de tumulis Garamantum arentibus adſunt.
Et Te, potor iners, fœda taberna tenet?
Nec fortaſſe pedem ſpumanti moveris obbâ,
Parvula tot fluctus cùm ſuperârit avis.

Amor in ſilvis.

IN ſilvis degit, quem vos neſcitis Amorem.
Nil facit ad veſtros, ſubica turba, ſales.
Heic tener occurrit miſtus puer ille Camœnis:
Heic puerum occurrit ponè ſecuta Venus.
Si memini, mihi ritè novem favére ſorores,
Hoc cœtu quoties digna Cytheris erat.

Lupus ſtrangulatus.

PEndet ab hoc trunco magni vaſtator ovilis,
Paſtorum terror, & laniena canum.

Ite bonæ pecudes: tutæ sunt undiq; silvæ.
Quod vos & vigiles perdidit, in laqueo est.

Ad Magnif. & Nobilisſ. Dn. Iſraël. Hoppium ProC. Elb.

QVi potui Dryadas patriis præferre Napæis,
Et Pap hiis nemorum murmur inane rosis;
Vt mihi nunc, Hoppi, Tua se topiaria jactant!
Vt placet exiguus, sed bene cultus ager!
Alcinoi hoc regnum est: illeic Aminæa recumbit
Vitis: habet medios Flora Venusq; thoros.
Vt vos allicitis silvestria Numina Faunos,
Quæ fontem salices cingitis ante fores!
Adspice, qui recto Vatis conceditur usu,
Delicium hoc ad se xystus ut omne trahat!
Hortorum facies, oculis quam sæpe requiro
Vel mediâ brumâ, quàm proba vere suo est!

Græcæ linguæ utilitas, necessitas.

GRæca Macer didicit: dicam Tibi, Pontice, caussam:
Possit ut integriùs verba Latina loqui.
Pontice non satis hoc: plus est doctore bilingui,
Cùm loquitur Christus, non opus esse Macro.

De Gylli horto pensili.

GYllus habet hortum pro fenestrâ pensilem:
De quo rogatus, similis est Babylonio,
Dixi: quod opus erat arduum Semiramidis.
Sed illi & hunc & huic pares mille alteros
Post alteros impegeris, nusquam tamen
In illo & hunc & tot pares huic videris.

Specu-

Specula præ portâ forensi.

Qvà meus æstivis Borean captaverat horis
   Fautor, in hac speculâ dat Tibi, Musa, locum.
Parce per infames animum demittere somnos;
   Aut levibus studiis, aut hebetare mero.
Crede Tuos montes hoc uno surgere vallo,
   Hunc rivum, hunc Phœbum qui nitet, esse Tuum.

Frigilla caveâ liberata.

At vos, quæ liquidam lætis concentibus æthram,
   Et resides animos exhilaratis, aves;
Accipite hoc osclum vestræ sociale catervæ,
   Quo mihi nox brumæ, quo tolerata dies.
Tu caveâ, frigilla, Tuâ, quâ clauderis, exi:
   Oreq; collauda liberiore Deum.

In Gerardum.

Accésti Venetam Neptuni immobilis urbem,
   Porsennæ tumulos, Æneadumq; domos.
Teuto es: Teutoniæ quas Te transisse per urbes
   Asseris? Ausoniæ mitto, Gerarde, vias.
Ignoras? illuc seu Te carecta ferebant;
   Sive alia Italia est, non vetus Oenotria.

In Marcellum.

Hostem Marcellus conspexit, & abdidit ensem.
   O cives, hosti quis daret arma suo?

Fama.

Sperne rigens ferrum: dextram contemne potentem:
   In Te nil Reges posse deosq; puta.

Est

Est aliquid, quod nemo videt; quia corporis expers,
Incautos natum perdere, fama volans.

Ad Cordulum.

SI quid ab ungue meo gratum est Tibi, Cordule, versûs
In ratione Tui; trito cave flore Maronis
Ornari Vates. Magnum Jovis incrementum,
Et divûm genus, *&* divûm pater atq; hominum Rex
Iamdudum refugit lectorum nausea. Fabris
Digna fuére suis: & tunc cùm exorta fuissent,
Magnus honor! marcent eadem de pollice nostro.
Oderis hæc primùm mihi cras potiora monendus.

In Minervam.

HOc habitu, Pallas, quali galeata minaris,
A foribus ludi corda tenella fugas.
Pone hastam & galeam: gere plenas nectare mammas:
Mustaq; de laxo da melimela sinu.
Inter scriblitas sint illita frusta butyro.
Ad ludum veniet nec bene lota manus.

Ad Glaphyran.

QVò fastus hic Tuus Glaphyra? quid in vultu
Solidi, quod aut Ledan ab improbis fatis
Aut Tyndarida servaverit? citò transit,
In quo locatis optimum. Quid in campo
Adeo caducum? id herbulæ, quod in florem
Maturuit. Morbos time, si erit lucis
Vsura super. Hoc ergo Glaphyra *curandum est;*
Ea dum venustas oris est Tui, dum sunt,
Quos negligas, quem præferas; ut huic nubas.

In

In Platonis Critian.

ANte suos populos doctas dum condit Athenas,
 Mergit & in prisco Deucalione Plato;
Excitet ut rursus qualem conspexerat urbem;
 Nititur historiæ contemerare fidem.
Si Tibi mendaces stat profligare Poëtas,
 Antè Plato debes urbe carere Tuâ.

De Macro.

QValis templa decet, nec non & commoda lecto,
 Est pia blanda meo nupta puella Macro.

Ad Mæviam.

MÆvia, conde Tuos alto sub fornice flores.
 Clara scintillant astra, gelascit aqua.

In Ponticum.

PRæ foribus cùm stes integros Pontice Soles,
 Vt videas quas res ille vel ille gerat:
Deinde & cùm noctu cœli vaga sidera serves:
 Cur Tibi sive aliqua est, seu spatiosa domus?

Pueri restim ductantes.

SIgna quid ingredimur spondentia Veris honorem?
 Quid captamus aves, temperiemq; Iovis?
Ecce Tibi in molli restim ductantia prato
 Agmina: quos Zephyri depulit aura foco.
Quod missura foras extincto dixerat igne
 Mater, idem dicunt omnia: cessit hiems.

Guidoni Clusio.

ALba Paraetonio regressa ciconia portu
Antiquos habitat nota per arva Lares:
Grata locis riguis, cùm pectore candida toto est:
Quod sitiunt colles, hoc stipulata minùs.
Illam ruris amor nostri tenet, optime Clusi:
Et teneri spernat tempora Veris homo?

Ad Musam.

ERipe Te latebris: in rura venusta ruamus,
Musa: quid obscuro sub Lare mœsta sedes?
Hauserit integrius verno sub sidere cœlum,
Atq; suo vivat more Poëta Tuus.
Dum placidi rauco decurrunt murmure rivi,
Et violam tellus, quam Tibi donet, alit.
Gaudia sumamus, volucrumq; canora secuti
Oscula rurestres concelebremus opes.
Quem nunc bruta negant animalia posse taceri,
Summa mei fiet carminis iste faber.

Nuptiis N. Memmii.

SParge nuces, Memmi: Tibi nubit anicula mordax,
Sparge per excelsos, quà solet ire, gradus,
Vt ruat, inq; Orcum lapsu descendat eodem;
Tollitur, officium Te faciente Tuum.

Perillustri Dno. Sigism. Guldensternio.

VIginti violas in aprico colle repertas
Indicium justi nobile Veris habe.
Ipse manu legi: Stellas *qui gestat &* Aurum
Tam raro, dixi, munere dignus erit.

Sed

Sed quò nectareum properè libâris odorem,
Maxime vir, chartâ Te breviore moror.

Erico Loſio.

EſT mihi Præturâ cereviſia condita primâ.
Hanc hodie relinet Cathrula, noſter amor.
Care Loſi, primos ſtat Tecum haurire liquores.
Si Cererem ſpernis, Gnoſia vina dabo.
Sunt ea muneribus mihi miſſa potentis amici.
Miſerat huîc Idæ Crespotiore jugo.
Duc Tecum hunc hominem, quî cum mihi vivere dulce eſt:
Qui mea ſcripta tamen ceu Iovis arma timet.
Nec me laudâris, nec me culpaveris, inquit:
Sed neq; ſim verſûs pars quotacumq; Tui.
Non ſemper Vates animum promittitis æquum:
Sæpe latens in ſe carmina virus habent.
Hæc mihi, care Loſi, numquam non jactat ad aures.
Eſſe ſatis dictum, Tu mihi teſtis eris.
Ille nihil queſtus, cùm quod quereretur abeſſet,
Adſpicis, ut noſtram damnet ab arte fidem?
Si quid habent artes, quod non admiſeris ultro;
Dic mihi, quid ſtudium quod profitetur, olet?
Tu fac, ut hæc ſumto texetur tela Falerno;
Ne metuat, nil non carminis eſſe mei.
Nam quid in heroum profuſa eſt ſepia laudes,
Nusquam cantatis, quos mihi junxit amor?
Sed ſileo nomen, quia juſſerat ille ſileri.
Vt ducas, notum ſufficit eſſe Tibi.

Nicol. Olbio Heſſo, Med. ſoll.

OLbi, quid fiat noſtris in valle pyropis
Negligimus: muſcum nobilis Argus habet.

Instrumenta jacent gemmis è caute levandis:
Septima quæ messis, septima condit hiems.
Sed mora tuta fuit: ne tamtas iret in artes
Quæ nostrum rabies plebis hiabat opus.
Iam pueri plenus pendebat tergore saccus
Gemmarum ex agris grande ferentis onus.
Sudabat tacitus scrupis lithoglypta quadrandis,
Proq; Iovis Celmo sex adamantis erat.
Risimus: & nostrum semper celavimus Argum.
Ipse jacet vulgo spretus inersq; lapis.
Olbi, dum vigor est, dum cœlum vernat, eamus
Visere, quas videat nemo profanus opes.

Præstantissimo viro Domino Michaeli Mylio G. E. Rectori.

QVid de Poëtis sentiam, Myli optime,
Idem eruditæ Gymnados pars maxima;
Qui filiam ne nominent Agenoris,
Bovemq; Cretæum, genusq; Tyndari,
Etiam anxiè cavent, amantes plurimùm
Illud videri, quod fuisse Euagrius
Fertur, fuitq; Paullus atq; Antonius
Thebaidos hic & ille cultor entheus;
Subinde quæris: proinde paucis accipe.
Nihil, nihil nec succi habent Poëtici,
Nec amœnitatis, sobrii almâ in copiâ,
Minutuli, paresq; pipionibus
Pulloq; graculi, inficeti in omnibus:
Calamo pudici, arrectiores bubalis
In contubernio suarum conjugum
(Ne quid lupas etiam occinamus amasias)

Quibus

Quibus nigrum est, quod fortè non intelligunt.
Horum tabernas cautus emtor transit:
Ab his fabellis nemo Vates cuditur.
Via regia est ad Theologorum pollices;
Si præstat, ut par est, τὸ θεῖον quærere,
Quàm adoreâ Regum triumfos prosequi.
Quorsum libri nullius horum compotes,
Tractantium remoræ magis quàm lampades?
O vana corda Acheloidas fugientium
Syrtibus ut incidant! Quis ad superûm domos
Poëta nisi Maronis aquilâ vectus est?

In Codrum.

CVm quærerem ex Codro, famene palleat,
An maceat invidiâ; merâ, dixit, fame.
Phy nescias me semper esse famelicum?

In Eumdem.

VT ne molestus esset improbum genus
Animalium vel hirriens canis, parum
Objeceram offulæ: repente exceperat
Codrus Molosso exasperato dirior.

Apiculæ Veneri insidentes.

ORe deæ, puris cui lucent ignibus aræ,
Vna sedet, digitos altera pungit apes.
Tertia inest tenero pede, quarta sed inguine divæ:
Depicta est horto qualis, Erice, Tuo.
Talibus ô membris morderet apicula vivas!
Talibus in membris, quo pereamus, habent.

Sol inter turbines pluviasq; in mari occultatus.

Littora nigrescunt: superat Iove prorutus imber:
Et quatit exiguam magna procella ratem.
Fidite vos socii: viset sua pignora Phœbus:
Qui solâ potat nos Heliconis aquâ.

Manibus piis Excellent. & Clarisſ. Dni. Georgii Lothi Ph. & Med. D. Archiatri Electoralis Brandenburgici, Facultatis Med. in Acad. Regiomontanâ Senioris &c. amici incomparabilis.

O Mihi mansurum, si non vitalia Clotho
Vincula rupisset, concordi fœdere nomen
Lothe decus Phœbi geminato munere, quàq;
Hippocratis Coi, quàq; arma canentis Homeri.
Sicne jaces? Sive hoc facinus fatale sororis
Tergeminæ est, seu Te summo jam debita cœlo
Exemit pietas extremâ sorte bonorum,
Flebilis occumbis non tantùm nostra colenti
Sacra gregi; deflent etiam Tua funera Reges.
Ausa Machaoniæ violentum avertere lethum,
Ausa sed incassum, torpent collegia turbæ
A gemitu! doctusq; arcanas reddere voces
Thespiadum sacris Helicon immugiit antris.
In nova Prægorides totam lamenta vocârunt
Insteran: & querulus se pleniùs intulit Alla.
Citra Pasoridas nostris audivimus undis
Sub Pogiæ scopulis, per regna antiqua Pomesi,
Et Drusi nimfas & comploràsse Nogedi,
Dum ruerent tumidi sed non à fontibus amnes.

Quid

Quid miseri Superûm decreta lacessimus ausi
Optandas damnare vices? ô tale sequamur
Depositum cœli sua rursus ad astra relatum!
Interea donec nostri non indiga cultûs
Mistaq; pars divis positas tellure reposcat
Exuvias; vos serta deûm, quibus ille revinxit
Emeritum caput, apricæ laurusq; ederæq;
Ad tumulum Vatis de cespite surgite primo:
Et violæ, ac Paphii latè spargantur odores:
Cumq; maritatâ pinus superincubet ulmo,
Arborei fœtus: quos ferre Lycaonis Vrsa
Novit, & egelidæ numquam lœsêre pruinæ.
Hi super hoc busto natis in aperta Poëtæ
Præmia defendent hiemalia frigora lauris.
Nos genus Aonium solvemus justa quotannis.

In urnam Ennii Poëtæ.

CReditis? egregiâ Calaber jacet Ennius urnâ,
Postq; rogos fruitur Scipio vate suo.
Vana fides. Mansit longo post tempore sospes,
Redditus est donec per sua membra lacer.
Pars minor ex aliis monumentis eruta prostat.
Ex hoc pars tumulum maxima Vatis habet.

De anu.

CAuponam intravi, tumidus quâ Vistula nostras
Auget aquas. Vt nos hospita vidit anus,
Excepit querulans; dentes patuêre loquentis.
Tres modò primores, nec super ullus erat.
Vt risum elicerem, fueritne puerpera quæro.
In risu dentes exspuit illa duos.

In

In ſubmerſionis periculo.

MErgite me ponto dI quorum Numina læſi:
Si mihi propoſui criminis eſſe reus.
Si merui pœnam, nec pœna remiſſa precanti eſt,
Per ſua quem veſter tempora fovit amor.
Sed jam victrices in me ratis hauriat undas,
Si pelago Vates promeruêre mori.

In Philippum.

POëta ſum, Philippe: nec ſit amplius,
Quod dicar. At Tu? ſi Tibi fur auferat
Argenteum marſupium; non hoc erit,
Quod Tibi Themiſtos de ſacrario arrogas.
Quid? nec ſcholaſtici magiſter pulveris
Vel infimorum miſſus ad ſubſellia.

De duabus ſororibus.

SEmper edunt lepores Iuſtina ſororq́ue Beatrix.
Quid faciunt artes, ſi Cytheræa fugis?

Sceleti toreuma.

QVisquis homo ſpernis viventum voce doceri,
Adſpice cum Phariâ gente toreuma necis.

Piſcatio.

EGredimur ſilvis: Diana canesq́ue valete.
Pontigenam ſequimur ſtagna per alta gregem.
Vos manus una virûm date plano retia fundo:
Vos alii prædam quærite ſub ſcopulis.
Huc abeant ſacci prætenſaq́ue lintea ſaccis.
Mittetur Patribus carpio, tinca fabris.

De

De oleâ.

INter amicitiæ nec prima nec ultima mensas
    Symbola, Pancratii quæstio nata domi est.
Stirpibus in lætis nemorum quæ filia regnet?
    Pinus an in decus hoc, an Iovis arbor eat?
Seu coryli pueris gratæ, seu grata salicta
    Panibus, aut maculis nobile præstet acer?
Quid possim, teneras cui fraxinus explicet umbras,
    De mihi tam caro stirpe probare? rogant.
Anguibus exitio est, inquam: clarissima sunt hæc
    Germina, quæ populos munere pacis alunt.
Non illo patriæ celebrantur termite silvæ,
    Nec patitur Geticum mitis oliva gelu.
Robora sunt pecori victum præbentia nostro:
    Commoda sed nobis Palladis arbor abest.
Sic ego, cùm possent mea tempora pessima dici,
    Truxq; lacessitos miles obiret agros.

Ablactatio Isaaci, & ejectio Ismäelis.

UBere depositum cùm Sara cibaret Isacum,
    Inciperet solidas cùm puer esse dapes;
Prandia convivis genialia fecit Abramus.
    Res è divinis est manifesta libris.
Nil potuit simplex, nil non regale videri.
    Si rectè exigimus; mille fuêre viri.
Qui validos duxit tercentum in prælia vernas;
    Certum est, hunc pueros hunc aluisse senes.
Nutriit & plures Agarâ Nilotide servas
    Partem ancillantis præsidiumq; gregis.
Escole cum Mambrâ vicinis usus amicis
    Iussit & hos festis hospes adesse suis.

Quis solos venisse putet? venêre maritæ,
Et famulæ sexu cum famulante viris.
Cumq; prope augustam pecus illi erraret Hebronem,
Iunctisq; officio civibus esset opus;
Deinde Geraræo pactus cum Rege tenellum
Per juga Bersabeæ pasceret agmen oves;
Tercentum Proceres hæc in convivia traxit:
Estq; sui quemvis turba secuta Laris.
Dux Abimelecho sedit cum Rege Phicoles.
Hinc Hebrone Patres, inde Gerare sati.
Non deerat lautis vitulina domestica mensis:
Bubulaq; in pandis lancibus assa fuit.
Seu teneri mallent satiari carnibus hædi,
Sive agno vesci; misit utrumq; cocus.
Venatum egressi nunc hic nunc ille minister
Ad dominum vacuâ non rediêre manu.
Hic damam, aut volucrem transfixit arundine cervam:
Egit in hinnuleos ille onagrosq; canem.
Si locus aucupio, siq; hoc ea noverit ætas;
Alter in incautas tela tetendit aves.
Sive sub occultos pellexerat area casses,
Improba deceptum prodidit esca gregem.
Heic niger incubuit tetrix, heic Phasidos ales:
Illeic perdices, heic jacuêre grues.
Rara quidem Escolei pisces obsonia fundi.
Perpetuus totum collis obibat agrum.
Inde procul Iordanis erat: sed valle sub imâ
Muneris hoc habuit fossa vel alta palus.
Gaudent limoso nonnulli gurgite pisces.
Hinc quæ prima datur carpio præda, data est.
Rupe sub oppositâ, quæ mœnia sustinet urbis,
Vicinam rapidus permeat amnis humum.

Torrenti

Torrenti jactas implevit bdella sagenas:
Pinguis ab hac ipsâ gobio venit aquâ.
Nec nimiùm multis distabat passibus æquor,
Ac missura suas urbs propè littus opes.
At si Bersabeæ polluxit egentis aquarum,
Quà passim in venis quæritur unda suis:
Quis de squamigeræ promiserit agmine gentis?
Venit: at æquorei venit ab urbe Syri.
Pinsuit, & dulces formavit Sara placentas:
Mel quoq; cum butyro caseolisq; dedit.
Credimus, in lætas auctumni distulit horas.
Tunc mora & fici, tunc pyra, poma, nuces.
Tunc gravidâ pleni pendent de vite racemi,
Inq; dape inveniunt Bacchica dona locum.
Escolis ad fontem cum prisco exite Calebo:
Vicenis botryo est unus abunde viris.
Dulce merum Patres hausêre sub arboris umbrâ:
Ardua seu quercus, seu terebinthus erat.
Numinis in cultum per sacra silentia missus
Thariades fundo sevit utroq; nemus.
Tota sub arbustis villarum septa latebant:
Quodq; daret frundes, hoc erat ante fores.
Nec labrusca suo nec vitis honore carebat
Vlmo dilectæ juncta docente Noâ.
Quin & splendidulis erat ambitiosa corymbis
Solis ad oppositum pergula versa jubar.
Namq; sub admissis vitare Aquilonibus Austros
Talibus in caveis instituistis avi.
Ipse deos inter sedisse sub ilice fertur.
Verior ut fama est, ilicis umbra fuit.
Discite, quid præstent Vatum solatia silvæ.
In silvis fruitur mens propiore Deo.

Casta decent silvas: silvarum arcana petamus.
Præfuit hæc silvis, quæ dea casta fuit.
Illa suas comites castum servare pudorem
Iußit, & incestas se procul esse lupas.
Nescio quid tacitis insit penetrabile silvis.
Abfuit ingenio, quod mihi silva dedit.
Secreti vulgo sanctisq; furoribus acti
Ætherias sequimur, quà patet ipse, vias.
Exemplo veterum nemorosa sub avia Vatum
Mittimur. Hic meus est, hæc docuisse, labor.
Attamen injussos Tibi ne sit fingere cultus:
Si nemorum est alibi plus satis auctus honor:
Si Dodonæas celebrant oracula quercus,
Si sacer hic Phœbo saltus, at ille Iovi.
Cœca superstitio postquam desciverat usu,
Cuîq; suos nemori credidit esse deos.
Fecit & arboribus sacrum discrimen in ipsis.
Æsculus huîc, illi propria myrtus erat.
In varios abiit divisa licentia ritus,
Et stitit in placitis fasq; nefasq; suis.
Tamtum pervigili juvet interponere Baccho.
Adspice, quæ positos imbuat uva cados.
Purpureum vini contendo fuisse liquorem.
Non alium tellus fert Cananæa botryn.
Longè aberat mustum. quorsum mea protulit ætas,
Vt relinat succum, quo perimatur homo?
Ex auro bibitum est: aurum Chaldæus habebat.
Quem non hoc fœtæ vos cumulastis oves?
Pocula quæsitum est qui fundat & illa recondat.
Dixit herus famulis: Hoc Eleasar aget.
Venerat, & pastas in valle reliquerat agnas,
Inter Hebronitas aut priùs orsus iter.

Illi præcipuè (neq; enim præstantior alter)
Mambræi fuerat tradita cura gregis.
Forsitan admonuit: Tenuisti sceptra Damasci:
Fac, here, sit lux hæc nomine digna Tuo.
Adde quòd invitas, quorum consedimus agro;
Rexq; loci est idem, qui Tua tecta subit.
Nulli justitiâ nulli pietate vel armis
Cessurus nostrum fœdus inire parat.
Talia credibile est dominum auscultasse monenti,
Multa Damascenus gesserat instar heri.
Quamlibèt & promtum flammis adolere penates
Antè foret, sed nec deforet ampla penus:
Acceptum monitoris erat succedere punctum,
Ac aliquem in fastis hanc posuisse diem.
Si placet augustæ telam percurrere lucis,
Et lætum assertæ dicere noctis opus:
Sermo fuit varius, sed ab agnis cœptus & arvo
Misit ad ætherias corda diserta faces.
Qui medium cœli distinguat baltheus orbem,
Discere ab Astrologi res erat ore senis.
Primus hic inclusit domibus vaga sidera certis,
Et Syrios docuit Marmaricosq; Patres.
Plana quidem tellus nec non liquidissimus æther
Astra sui quâvis parte videnda dabant.
Temperies æterna loci promoverat artem:
Vt populi scirent, hic tamen autor erat.
Materiem nox ipsa dedit: fulsêre Planetæ,
Et depressa Syro Mænalis Vrsa polo.
Plenius illuxit tunc primùm Orionis astrum,
Inq; genu Idæi Pleias orta bovis.
Inde coruscantem circumspexêre Canopum,
Et Cycnum, & stellas Cassiopéa Tuas.

Ac pariter Boreæ deprensa Corona Notiq;,
Cognitaq; Æmoniæ candida signa ratis.
At si nominibus res nondum innotuit illis,
Hic modus & series norma docentis erant.
Tradidit hanc rudibus sic ipsa edocta Pelasgis
Gens Pelusiaca relligiosa Phari.
Si porrò exquiras, sic cœlum ab origine pinxit,
Quæ cunis Abrahæ nobilitatur humus.
Dulce, per astrigeram monstrato tramite molem
Isse, nec erranti quæq; notasse manu.
Omnis ab Aßyrii digito conviva pependit,
Resq; est in sapido longiùs acta mero.
Si qua fides, pueri quintus memoratur Isaci
Extremos annus tunc habuisse dies.
Ismäel infelix, qui vix libaverat uvam,
Mane novo hei patrio limine pulsus abit!
Viderat in mensâ fratrem cum patre sedentem
Sumere de Regis fercula sæpe manu.
Da simul accumbam, genitor carißime, dixit:
Hoc ego, quod dederas, non potiora rogo.
Cur neq; nunc lateri jungar spes prima paterno?
Sortis & in primâ sit mihi sorte nihil?
Vox ea movit heram, movit cùm sede negatâ
Mitteret in fratrem stirps Agarena probrum.
Inde novercales arserunt protenus iræ:
Et sedes Agara est quærere jussa novas.
Protenus emigra: Tecum Tuus exeat, inquit,
Filius: à regnis exulet ille meis.
Dulce sibi nomen quod sumserat antè parentis
Odit, & infestum plena furoris habet.
Nec multùm matrem est puerumq́; morata gementem.
Qualis in hoc sexu est, haut tenet ira modum.

Hæserit Abramus: mandata fuêre Tonantis.
Sic vir herus dixit: Res Tibi habeto Tuas.
Exiguam Cererem pariter dedit ire coactis,
Et fontis laticem: nec satis iste fuit.
Qui tot in heroas famulosq; profusus habebat
Amplius ut conjux quod daret atq; pater;
Durus utriq; fuit. Dic exegisse ministram:
Nec præstet titulum conjugis emta priùs:
Ad steriles puer est suboles dimissus arenas,
Non pecus, aut fruticem, non aditurusq; aquam.
His Abrahæ gestis pars intertexuit annum:
At causam nostræ non habuere parem.
Sed neq; bis decimam messem puer Ismäel egit.
Maternâ stratus dicitur esse manu.
Ipsum humeris Agaræ dextrâ patris esse repostum,
Asserit, & nullo codice textus abit.
Hincquoq; lactentis quinquennia demit Isaci
Calculus: hic minor est: grandior ille fuit.
Finge tribus saltem majorem haud pluribus annis:
Iam duci poterat, matris & ire comes.
Aut onus hoc Agaræ non hæsit tergore matris,
Aut minor ad solidos mittitur antè cibos.
Tuscule, cuî fictus terit altum limen amicus,
Nec vicina domus sed peregrina placet:
Quòd nihil impensæ cognato in sangvine ponis,
Hoc Tibi Thariadæ dicis inesse senis.
Improbe, quò furor hic? non hæc Te exempla tuentur:
Non ea quæ Superûm jussa sequaris, habes.
Noverat iste pater puero non defore Numen,
Hacq; oritura domo maxima corda ducum.
Huîc Deus autor erat: Te lex æterna cöercet.
Pane Tuo debet gens Tua pauper ali.

Paruit

Paruit in prolem jussus distringere ferrum.
Dic mihi, cuî sint hæc nunc imitanda patri?
Sed quò progredimur? positas excessimus aras.
Hoc opus est longum, non Epigramma dare.

De Batavis.

O*Dit Pythagoras Batavorum prandia. quare?*
Sæpe vorat coctam turba Batava fabam.
Et tamen illorum damnavit Cypria mensas.
Lactucas etiam Belga frequenter edit.

De laureâ Poetarum.

A*Lternâ Vatum nectatur laurea myrto.*
Qualis pura data est, hanc Tibi Cæsar habe.

Ad Fagium.

Q*Våre Tuas, Fagi, Laurus Heliconis in antris.*
Vatibus egregiis vendit Apollo nihil.

FINIS.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523

